



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1632**

S. Ivo Presbyter, Et Confess. Gallus, Britannus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45032**

## S. I V O

PRESBYTER, ET CONFESS.

Gallus, Britannus.

## ASSERTIO IURISPER.

Præterquam, quòd omnium iudicio Iurisperitus habetur, Vita eius à quodam synchrono fideliter scripta, IUDICEM fuisse testatur: & Martyrologium Rom. asserit, pro pauperibus, pupillis, & viduis, gratis egisse ADVOCATVM.

**P**vbertatem vix attigerat hic Sanctus, cum diuinarum litterarum studio, se studiosè addixit. Quod tum ab omnibus lectoribus diligenter animaduerti volumus; tum ab ijs maximè, qui non modò ipsum pro *Iurisperito*, & *Aduocato* agnoscunt, sed ipsum solum. Hi enim, nisi se ipsos decipere volent, &, quod ille ait, cum ratione insanire, nõ poterunt alios quos vel iã memorauimus, vel deinceps memorabimus, à Iurisperitorum nume-



ro excludere, ex eo, quòd vel Sacris literis, vel Theologiæ operam dederint præcipuam.

Versatissimus iam S. I V O in omnî Disciplinarum genere, ab Archidiacono quodam Redonensi, Ecclesiasticus IVDIX constituitur. Quo munere ita perfunctus est, vt & gratis operam suam impènderit; & pupillos, egenos, viduas, aliosque oppressos, & calamitate quavis laborantes, summâ humanitate solaretur, & patrocínio subleuaret. Si quis carcere teneretur, eum omni ope, & operâ erigebat: Si qui dissidebant, pacem, & concordiam inter eos conciliabat. Ecclesiasticæ in primis libertatis vindex erat acerrimus. Quod si euenisset, vt fit, vt sententia contra aliquem ferenda esset, sic memor erat Iustitiæ, vt tamen miseri hominis calamitati illacrymaret. His artibus, tamquam Christi bono odore illectus Trecorensis Episcopus, generalem eum IVDICEM, siue Officialem suum esse voluit. In quâ Dignitate, semper sui similis I V O, vel potius de



Virtute in virtutem progrediens, omnibus quidem alijs ; sed sibi nunquam satisfaciebat. Itaque ad altiora aspirans, ac potissimum ad beatam diuinarum rerum contemplationem, *Iudicis* officio se abdicauit, Orationibus, Meditationibus, Corporis afflictationibus perpetuò intentus.

Iterum te híc moneo, Lector, vti memineris, non propterea tot alios Iurisperitis negare, quòd aliquando eam Professionem dimiserint ; cum idem fecerit noster Ivo, quem tamen omnes IURISCONSULTVM, & Iurisconsultorum Patronum magno consensu agnoscunt Sed addamus de eo pauca.

Ieiunia orationibus condiebat, & Orationes Ieiunijs. Quo in genere illud prorsus mirabile fuit, quod aliquando septem totos dies perpetuò orauerit, atque interea nihil omnino gustauerit. Incruentum sacrificium quotidie DEO offerebat. Somni erat permodici. Lectulus erat vel nuda humus, vel nodosæ virgæ, aut stipites : cervical illi mollissimum, vel

vel



vel saxum aliquod, vel pietatis causâ,  
sacrofanctum Bibliorum volumen.

Eleemosynas egenis, ac peregrinis largiebatur, tum spirituales assiduè; tum temporales, quantum res familiaris patiebatur, subtractis etiam sibi non superfluis modò, sed propè etiam necessarijs. Itaque cum hâc eius benignâ liberalitate certans liberalissimus DEVS, & sæpius panes illi diuina potestate auxit, & aliquando frumentum. Complura alia hic Sanctus edidit longè supra naturæ vires. Ignem superauit, dum incendium perniciosè grassans, & concurrentium, ac lympham conferentium, omnem diligentiam superans, precibus extinxit. Aquarum molestissimam vim deuicit, dum superiectum pontibus fluuiû, crucis signo diuisit, ac transijt: hoc prodigio cum Moyse, Iosue, Eliseo, conferendus. Mitto alia.

Denique suscepto aliquando mendici specie, vel Angelo, vel Angelorum Domino: viso etiam in Columbæ candidæ formâ, Spiritu Sancto, cuius aspe-



Stabili splendore tota Trecorensis Ecclesia collustrabatur: *cupiens tandem dissolui, & cum Christo esse*, voti compos factus est, indicato prius tempore, quo æternâ illâ beatitudine erat fruiturus.

Floruit Anno Christi 1285. Obijt 19. Maij.

S. EL-

